

Rupertum seniore. Et iste Rupertus duxit uxorem filiam regis Sicilie, de qua genuit Rupertum iuniorem, postea de anno domini 1400. in regem Romanorum electum.

Karolus quartus, illustris principis domini Johannis regis Bohemie primogenitus ac nepos Henrici septimi quondam imperatoris, anno domini 1346, die 11. Julii post deposicionem et degradationem Ludewici imperatoris, vocatis vocandis principibus electoribus et convenientibus in Rense, sollempniter fuerat electus¹⁾ et regnavit annis 32. Et sequenti anno die 26. Novembris presentibus quam pluribus spectabilibus personis in Romanorum regem consecratus, coronatus et gloriosius installatus. Qui terram Karinthie (*hs.*: Karinthe) ingressus, effugato Bavro et marchione, eius filio, triginta duas et^{*} plures municiones et castra cepit, et dehinc Bavariam ingressus, ipsum Ludewicum adhuc viventem invadere nisus maxima copia armatorum. Sed ipse Ludewicus moritur, et sic nichil actum legitur. * f. 237.

Et anno domini 1346. Baldewinus et Johannes rex Bohemie papali suffulti auxilio Karolum in regem Romanorum eligi procurarunt. Quo³⁾ anno maximo prelio inter regem Franckorum et Anglorum perpetrato, dominus Johannes rex Bohemie, pater ipsius Karoli, princeps imperterritus, cecitate percussus, non tamen minus armatus, 26. die Augusti sagitta in eodem bello letaliter vulneratus, fuerat occisus. Et sequenti anno scilicet domini 1347. infra octavas pasche Reinhardus de Westeburg consilio Ludewici regis et auxilio domini Baldewini Grensaw sibi usurpavit. Quod Confluentini libenter avertissent, sed fuerunt crudeliter capti et occisi.

Karolus predictus non tantum in regem, sed et Guntherus de Swartzburg comes nobilis similiter in regem ab una parte fuerat electus. Et ambo in campis ante Franckenfurt iacuerunt, unus ex una parte Mogoni, alius ex alia parte. Sed ille de Swartzburg in brevi ibidem fuit intoxicatus, ordinante dicto Karolo, et ibidem in Franckfurd in ecclesia sancti Bartholomei sepultus; et sic Karolus mansit et regnavit. Hic Karolus sapientissimus princeps primo longo tempore Parisius stetit. Et postquam imperator factus est, sollempne studium instituit in metropoli Bohemie, scilicet in Praga, et liberaliter dotavit, nichil recipiens de bonis clericorum ibidem. Hic Karolus quatuor uxores habuit: primam filiam Rudolphi ducis Bavarie, comitis palatini, et hoc tempore Innocencii; secundam de Francia; terciam de ducatu Swidnicensi (*hs.*: Suiduicensi), de qua genuit filiam, quam marchio Brandenburgensis duxit in uxorem; quo mortuo filia fatua et insensata mansit. Imperator eciam genuit de eadem filium Wentzeslaum subscriptum.

1) Aus Gest. Bald. III, 8. 2) Ebendaher.